



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Sacra Synaxis in Apostolorum martyrio celebrata in mortem Constantini.  
Cap. LXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

omnes tamen beatum imperatorem acceptumq; Deo & vere imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantum & clamoribus significabant, verum etiam re ipsa declarabát: cum eum vita functum pictis tabellis tanquam viuum colerent. Nam cum cæli effigiem in tabella propriis coloribus expressissent: depingunt eum super cælestes orbes in æthereo coetu requiescentem. Iam liberos eius hii solos rerû dominos & augustos nuncupabant. Adhibitisque supplicibus vocibus funus imperatoris sui ad ipsos efferre, & in imperatoria vrbe deponere cupiebant.

*Quomodo funus à Constantio filio Constantinopoli depositum sit. CAP. LXX.*

**H**IC honos ei, à legionibus, homini ab ipso Deo honorato delatus est. Sed minor natu filius ad patris funus accedens, idemq; princeps efferendi funeris in urbem id deduxit. Præibant turmatim militum cohortes, infinita hominum turba sequebatur, imperatoris funus hastatis & armatis militibus cingebatur. Vt verò ad feruatoris nostri Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt. Sic adolescens Constantius Imperator, cum præsentia sua, tum reliquis rebus tanto homine dignis, omnia patri pietatis officia præstabat.

*Sacra Synaxis in Apostolorum martyrio celebrata in mortem Constantini.*

*CAP. LXXI.*

**S**ED cum is iam cum reliquis militum cohortibus secessisset, aderát Dei sacerdotes, circûfusi turba ac vniuerso pietatis studioso populo, à quibus diuinus per preces cultus adhibitus est. Hoc igitur loco, excelfo solio iacens beatus princeps gloriose prædicabatur. Iam populus frequens vna cum sacerdotibus, non sine lachrymis, & fane magno cum gemitu, preces pro anima imperatoris Deo fundebant: in quo & illi gratum atque optatum pio principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam erga famulum suum ostédit: quòd post mortem charis eius ac germanis filiis, patris sui successoribus, imperium donasset: & quem votis expetiuit locum, vna cum Apostolorum

Q. 93

memo-

## EVSEBII DE VITA

memoria consequutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beatæ animæ tumulum apostolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diuinisq; cæremoniis & mystico sacrificio sanctarumq; precationum societate perfrui, atque etiam post mortem cum imperio esse: tanquam iam in filiis reuiuiscens summam imperij administraret, Victor, Maximus, Augustus ipsa appellatione vocitatus.

*De Fœnice aue. CAP. LXXII.*

**N**Eque tamen ita vt Aegyptia illa auis, quam aiunt, cum naturæ prouidentia vnica sit, sibi ipsi mortem consciscentem in aromatum aceruo emori, ex cineribus verò eius reuiuiscere & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit: sed seruatoris sui exemplo, qui pro vno fere tritici semine, benedicente Deo, spicam multis seminibus refertam exhibuit, suoque fructu vniuersum orbem compleuit: ita is ter beatus per trium liberorum successione, pro vno multiplex redditus est: Ita vt in imaginibus & picturis apud omnes gentes, vna cum liberis suis eundem honorem adeptus sit, & Constantini nomen etiam vita sua retineat.

*Quomodo in nummis Constantinum tanquam in celum ascendentem sculpsert.*

*CAP. LXXIII.*

**I**AM verò in ipsis nummis exsculptæ formæ, quæ vna parte beatum hunc nostrum obuoluto capite repræsentabant: altera parte quadrigis, instar aurigæ infedentem, demissa illi cœlitus manu dextra exceptum.

*Quòd Deus ab eo honoratus, iure eum vicissim honoribus affecerit.*

*CAP. LXXIIII.*

**H**ÆC exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino, qui ex omnibus Christianis maxime tandem aliquando Christianus declaratus est, nostris oculis proponeret, nimirum ostendere voluit, quantum  
inter